

1456 oculos oculis toto decennio spectarunt, quæ ab illo in Asia & Europa gerebantur: quin & ipsi multa interim animo moliri, ac bellum, quod omnino sibi cum barba-ro instare videbant, præmeditari: temperatum tamen tam-diū ab armis, donec proœcta ab eo injuria legitima eos arma induere coegit. Sed de ea re mox dicere incipiam; nunc pauca de iis quæ domi per id tempus, quo pax fuit, acta sunt, referam. Foscari Principe, longe lateque promoti erant imperii fines, quod tum publica fœlicitate, tum diuturno illius principatu prudentique admini-stratione contigit: sed non imperium solum, verum etiam & urbs ipsa nobilibus quibusdam ædificiis est aucta. Ea nanque tempestate curiæ vestibulum candido marmore ex-teriore est parte munitum: Gregorii fanum a fundamentis instaurari cœptum, quod sumptuosissimo apparatu his no-vissimis annis absolutum vidimus: marmorea Zachariae ædes veteri incubans, tum quoque fundari cœpta dicitur, opus non tam magnitudine sua, quam materia, quæ no-bilissima est, opificioque vetustissimi cujusque operis æmu-lo admodum insigne. Dux ipse quum annis quatuor ac

1457 triginta & amplius Reipublicæ præfuisset, effetque jam nonagenarius, nec ob decrepitatem publicis muneribus omnino vacare posset, Paschalis Maripetrus illi adhuc vi-venti surrogatus est. Positis itaque summi magistratus in-signibus, atque in ordinem redactus (quia generosus ille animi vigor in effœto corpore nondum erat extictus) post novi Principis creationem paucissimis diebus expiravit. Decreto Patrum, insignia quæ vivo adempta fuerant, de-functo sunt restituta: ducaria pompa ad ædem Minorum elatus est: atque ita accidit, ut Princeps Principem ex-tulerit, quod post morem collegæ in principatu cooptandi e Republica sublatum, nunquam (quod sciam) ad eam diem acciderat. Sepulchrum ex Pario marmore, pu-rissimoque auro nepotes illi ad aram templi maximam po-suere. Maripetri principatu ingens ille terræmotus factus est, quo circa nonas Decembris tota fere Italia concussa est, vel imprimis Neapolitanum regnum. Cæterum mul-

*Princeps
Principem
effert. Pa-
scalis Ma-
ripetrus
Dux, vivo
adibuc Fo-
scaro, crea-
tur.*